Kornacki Ignatii: Assertiones theologicae ex summa S. Thomae Doct. Ang. depromptae.

ASSERTIONES THEOLOGICÆ EX Summa S. Thomæ Doctoris Angelici depromptæ, publico certamini exposite

IN ECCLESIA SS. TRINITATIS.

Per P. Fratrem Ignatium Kownacki S. T. Baccalaureum, ordinarium in almo studio Generali Conuentus eiusdem Ordinis Prædicatorum.

Anno Domini 1603 Mense Marti
die hora

CRACOVIAE,

Ex Officina Andreæ Petricouij. Anno Domini,

M. DC. II.

y.

ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO DOMINO,
DOMINO BERNARDO MACIEIOwski, Dei Gratia Epiſcopo Cracouień: Duci Seuerień: &c. &c. Domino & benefactori clementiſsimo.

Frater Ignatius Kownacki, S. Theologiæ Baccalaureus, Ordinis Prædicatorum S.

SÆpenumero mecum cogitanti, quî fieret vt pauci his temporibus libelli edantur ſine Illuſtrium virorum tutella & patrociniis: multa occurrebant, quæ ſicut animum meum varias in partes diſtrahebant, ita apud benigniſsimas aures tuas enarrarem, ſi non apud te operepreciumfecero meo certè animo apprimè morem geram. Veniebat illud inprimis paupertatem multis obſtare & hactenus obſtitiſſe, quominus ad ſuperas artium & ſcientiarum arces euolare poſſent, eam plerique dum cupiunt amoliri ad Principes viros Muſas ſuas pannis obſitas lugubriter & ſquallidè ob indigentiam habitas adducunt, vt apud eorum oculos liberalitatem inueniant: qui ad omnem ſplendorem & magnificentiam apti nati ſunt. Non poterit (inquiunt illi) apud ſe optimus noſter Princeps ſiccis oculis aſpicere bonas iſtas literas dedecores & inhonoras. Eas verò ille è mediis

tenebris

tenebris ad lucem, à squallore ad splendorem, à contemptu in honorem vindicabit, nec sinet optimas humanæ vitæ comites & duces in perpetuo horrore & miseriis consenescere. Talium pars magna est in mundo qui libellos in Magnatum aulas transmittunt. Sunt alij qui hæc humana contemnunt, satis beati vnica virtute & bona conscientia bonarum mentium dulcissima prole; Nec adeò diuitias appetunt vt non eas vel sponte oblatas repudient, si quid tamen scribunt, id ad Illustres istos soles exponunt tanquam aquilæ suos pullos. Et speculantur quomodo proles sua excipietur à viro Principe, quo animo, quo vultu? Si læto & alacri, gaudent in sinu suo probatos esse suos libellos illi, & laudari à laudatissimis & Illustrissimis Heroibus. Si tristiori & asperiori: sumunt ab ipso casu animos & sese efformant, effingunt, vt posterioribus curis inueniant gratiam apud Magnates viros. Pellunt ergo omnem ignauiam magnorum etiam ingeniorum pestem, quæ vt lignum occulta terredo consumit: sic animum delimat paulatim & exedit ignauissimus hic affectus. Te verò (inquies) qui mihi hæc de arduis & sublimibus rebus & mysteriis Sanctissimæ Trinitatis Augustissimorum Sacramentorum & aliis ad iustitiam diuinam & sapientiam humanam pertinentibus, in quo genere ponam? Si homines Illustrissime Antistes interrogas, inter illos me pone qui cum fratribus meis tuam liberalitatem tanquam

herbæ in terra sitienti imbrem desideramus: Si meipsum, nomen meum inter illos pono, qui malunt iudicium tuum quàm beneficia; ea siquidem à conductu in studia Italica vsque nunc sæpe sæpius expertus fui. Benignitate vultus tui opus mihi est, quæ si aderit, omnem me tulisse punctum arbitrabor, si amplißimi & Illustrißimi viri; addo ego & doctißimi Herois, de me meaq́ʒ opella quæ plus habet in recessu, id est in ipso calore disputationis, quàm in fronte promittit, retulero sententiam amicam, beneuolam, qualem te & mores tui suauißimi, & natura benignißima docuerunt. Bene vale decus & præsidium Ecclesiæ Catholicæ.

ASSER-

Aſſertiones Theologicæ ex Summa S. Thomę Doctoris Angelici deprompt æ.

Ex Theologia ſpeculatiua.

De Proceſsionibus & Relationibus Diuinarum perſonarum.

1. Neceſſe eſt ponere proceſsionem in diuinis perſonis.
2. Proceſsio perſonarum diuinarum non eſt ſicut effectus à cauſa: vt ſenſit Arrius.
3. Neque vt cauſæ in effectum, vt ſenſit Sabellius.
4. Eſt tamen proceſsio ad intra ſecundum actionem immanentē.
5. In quocunque intelligente ex hoc ipſo quod intelligit procedit conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua & eius notitia proueniens: & nuncupatur verbum cordis.
6. Actio immanens eſt ipſa productio verbi.
7. Actio immanens licèt producat verbum, bene tamen dicitur actus vltimus.
8. Beati formant verbum de Deo viſo: ſed tamen partiale.
9. Angeli intelligentes ſeipſos per ſeipſos non formant verbum.
10. Obiectum dupliciter eſt præſens intellectui: vel vt conprincipium intelligendi vel vt terminus eius.
11. Proceſsio verbi in diuinis dicitur generatio.
12. Generatio eſt origo viuentis à viuente coniuncto, ſecundum ſimilitudinem eiuſdem naturæ.
13. Generatio quæ eſt mutatio de non eſſe ad eſſe, de qua dicit Ariſt: 5. Phiſ: non eſt in diuinis.
14. Verbum diuinum procedit vt res eiuſdem naturæ cum Deo quia ibi intelligere eſt ſuum eſſe.
15. Filius Dei eſt eo verbum quo filius.

16. Ex eo

16. Ex eo quod intelligere in nobis non est substantia intellectus, verbũ ab eo procedens non est simile, nec dicitur esse filius.

17. Essentia diuina filij licèt sit accepta à Patre, non tamen est recepta in aliquo subiecto vel materia.

18. In diuinis præter generationem est alia processio amoris.

19. In diuinis processionibus non datur processus in infinitum.

20. Processio amoris non dicitur generatio.

21. Processio secundum similitudinem constituit processionem generationis non amoris.

22. Cùm similitudo sit principium amoris benè dicitur genitum esse principium amoris & non quod amor sit genitus.

23. Processio amoris potest (licet impropriè) appellari spiratio.

24. Non dantur plures processiones in diuinis quàm duæ.

25. Falsa est opinio Durandi volentis processiones diuinas attendi penes fœcunditatem naturæ diuinæ, exclusis intellectu & voluntate.

26. In Deo est perfectissima fœcunditas licèt ab eo solum verbum & Spiritus sanctus procedat.

27. In Deo sunt relationes reales.

28. Relationes quæ sunt in diuinis assimilantur relationi identitatis, sed non quantum ad omnia.

29. Et hæ relationes identificantur secundum rem diuinæ essentiæ.

30. In Deo est distinctio realis secundũ relatiua nõ secundũ absoluta.

31. Quatuor tantum sunt relationes in personis diuinis, scilicet paternitas, filiatio, spiratio & processio.

De Sacramentis Ecclesiæ Dei in genere.

1. Hoc nomine Sacramenti vtendũ esse in Ecclesia Dei sustinemus.

2. Hoc nomen Sacramentum falso Lutherus ex Ecclesia Dei abiicit dicens in lib: de Capt: Bab. quod in scripturis Sacramentum significat rem secretam & absconditam: non autem signum rei sacræ & secretæ. Melanchton quoq; non vult illa appellare Sacramenta, sed solum signa siue sigilla. Carolstadius ex professo ait contra nomen Sacramenti. Alij vt Zwinglius & cæteri propter hoc nomen nolunt tumultuari, sed magnopere optant vt hoc nomen nunquam fuisset receptum.

3. Nomen

3\. Nomen Sacramenti in ſacris ſcripturis demonſtratur etiam ſpecificè : ſed ſolis Catholicis, vt patet ad Epheſ : 5. de Sacramento matrimonij.

4\. Hæreticis verò poſſumus demonſtrare nomen genericum : vt apud Danielem Cap : 2. de ſtatua Nabuchodonoſor, & Apoc : 17. & 2. ad Theſ : 2. & ad Epheſ : 5.

5\. Sacramentum eſt ſacræ rei ſignum ſanctificans nos.

6\. Sacramentum neceſſatiò debet eſſe ſignum. Quod ſic D. Augu : lib : 2. De doctrina Chriſtiana cap : 1. definit. Eſt res quę præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud facit incogitationem venire.

7\. Sacramentum debet eſſe ſignum ſenſibile. Vnde Ocham falsò putauit Deum poſſe inſtituere vt Sacramentum ſit mentalis oratio : cùm illa licet poſsit conferre effectum Sacramenti, non tamen poteſt eſſe ipſum Sacramentum.

8\. Sacramentum debet eſſe ſignum datum non naturale.

9\. Sacramenta debent habere Analogiam & ſimilitudinem aliquam cum re quam ſignificant.

10\. Sacramentum debet eſſe ſignum rei ſacræ non prophanæ.

11\. Debet etiam illud ſignum ſignificare ſanctificationem, ſic vt tunc dum fit ſtatim ſanctificet. Vnde Manna in deſerto & Columba quæ ſuper Chriſtum apparuit, non poterant dici Sacramenta, cùm futuram vel præteritam ſignificabant ſanctitatem.

12\. Requiritur etiam ad rationem Sacramenti vt ſit ceremonia ſtata & ſolennis, quæ hominem Deo conſecrare valeat.

13\. Si conſideretur Sacramentum Phyſicè, ſic non poteſt habere definitionem : quia aggregatum ex pluribus nequit definiri.

14\. Si verò conſideretur Moraliter ; ſecundum quem modum ciuitates, regna, ſunt vnum aliquid, ſic poteſt habere definitionem. Porrò Sacramentum dicitur eſſe vnum Moraliter, quia eſt vnum inſtrumentum ad iuſtificationem.

15\. Bona quoque eſt deſcriptio Sacramenti ab Hugone in 1. parte data. Sacramentum eſt corporale vel materiale elementum, foris ſenſibiliter propoſitum, ex ſimilitudine repræſentans, & ex inſtitutione ſanctificans, & ex ſanctificatione continens in ſe aliquam inuiſibilem & ſpiritualem gratiam.

16\. Magiſter Sententiatum in 4. diſtin : 1. ſic deſcribit : Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, eiuſdem gratiæ imaginem gerens & cauſa exiſtens.

17\. In

17. In Catechiſmo Concilij Tridentini ſic definitur Sacramentum: Eſt res ſenſibus ſubiecta, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis & iuſtitiæ tum ſignificandæ tum efficiendæ vim habet.

18. Gratianus 1. Quæſt: 1. Can: Multi ſęcularium. ſic definit: Sacramentum eſt per quod ſub tegumento rerum viſibilium diuina virtus ſecretiùs ſalutem operatur.

19. Ad rationem Sacramenti in genere non ſufficit vt ſignificet, ſed etiam requiritur vt ſanctificet; imò ſanctificationem principaliùs ſignificat.

20. Sacramenta veteris legis, non ideo ſunt Sacramenta quia ſignificant gratiam per Chriſtum conferendam; ſed quia & ſignificant, & cauſant ſanctitatem legalem.

21. Sacramenta vniuocè prædicantur de Sacramentis veteris & nouæ legis, non obſtante perfectione Sacramentorum nouæ legis: quemadmodum animal prædicatur de homine, & lepore vniuocè, quamuis homo ſit perfectius animal lepore.

22. Illa definitio. Eſt ſacræ rei ſignum, vniuocè conuenit Sacramentis vtriuſq; legis: ſed per ſignum non debet intelligi ſignum practicum: vel ſi intelligatur ſignum practicum, debet intelligi per rem ſacram ſanctificatio indefinitè, ſiue iuſtificatio, ſiue mundicia legalis.

23. Lutherani, & ſpecialiter Kemnitius 8. requirit conditiones conſtituentes Sacramentum. Primo. Vt Sacramentum ſit externum, materiale, vel corporeum, & viſibile elementum & ſignum, quod certo externo ritu tractetur. (Hæc conditio eſt falſa in ipſius ſenſu: nam vult excludere cætera ſenſibilia præter viſibilia & tangibilia: nos enim tenemus ſufficere ad rationem Sacramenti vt ſit quopiam modo ſenſibile etiam auditu perceptibile, ſenſus enim auditus excellētiſsimo modo dicitur eſſe ſignum, teſte D. Aug: lib: 2. de doctrina Chriſtiana cap: 3.

24. Secundo, vult Kemnitius vt habeat expreſſum mandatum & inſtitutionem diuinam. Sed quoniam excludit traditiones iſte hæreticus, dicimus falſum eſſe, quod neceſſarium ſit hanc in Scriptura inſtitutionem exprimere: quia hoc eſt per accidens quod inſtitutio ſit ſcripta vel dicta. Et ſequeretur, Baptiſmũ & Euchariſtiam dum celebrabantur à Chriſto & Apoſtolis non fuiſſe Sacramenta, quia nondum erat ſcriptum Euangelium.

25. Vult tertio, vt ſit in noua lege inſtitutum. Vera eſt hęc, ſed militat contra Lutheranos & Kemnitiũ qui volunt Baptiſmum Ioannis parem

nis parem esse Baptismo Christi, & tamen ille in antiqua lege fuit institutus. De hoc vide Calu: lib: 4. Instit: cap: 14. SS. 7. Kem: 2. par: Examinis de Baptismo.

26. Vult quartò, vt sit ceremonia perpetuo duratura. Hæc placet.

27. Vult quintò, vt Sacramento adsit promissio gratię. Hæc vera esset si non extortè illam hic hæreticus intelligeret: requirit enim promissionem gratiæ vt præcedentem, Sacramentum verò consequens hanc promissionem, vt sigillum consignans illam. At si sic, nec Eucharistia nec Baptismus erunt Sacramenta: nam Ioan: 6. caput non admittit Lutherus de Capt: Bab: dicens: Primùm, caput 6. Ioannis in totum est seponendum, vbi nec vna quidem syllaba de Sacramento loquitur: in cæteris verò locis nunquam reperitur talis promissio: & dato quod sit, non erit signum testificatiuum & confirmatiuum promissionis Eucharistia, vt ipsi volunt, sed commemoratiuum. Idem dicimus de Baptismo.

28. Vult sextò, quòd promissio debeat esse annexa signo diuina ordinatione. Hæc falsa: nam verbum quod annectitur Sacramentis, non est promissorium, sed in aliquibus assertorium, in aliquibus deprecatorium: non enim dum baptizamus, dicimus: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. sed, Ego te baptizo, &c. Similiter dum consecratur Eucharistia, non dicitur. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

29. Vult septimò, quòd illa promissio sit de remissione peccatorum. Sed hæc quoq; est falsa: nam alioquin Eucharistia non esset Sacramentum, ad quam suscipiēdam necesse est homines esse sine peccato. Qui enim manducat & bibit indignè, iudiciū .&c.

30. Vult octauò, vt Sacramentum obsignet instar sigilli & confirmet instar miraculi ad excitandam & alendam fidem iustificātem. Sed si esset vera hæc particula, sequeretur quòd elementa in Sacramentis essent & notiora, & efficaciora quàm verba quod nullus concederet: cùm verbum moneat efficaciter auditorem, Elementum verò vel nutus quidam vel signum mutum dicitur: Tum quia in sacris scripturis nunquam Sacramenta dicuntur sigilla & testimonia promissionis, sed instrumenta iustificationis. Tum quia bona opera sunt notiora testimonia quàm Sacramenta. Tum quia frustra baptizarentur infantes & amentes, in quibus per baptismum non excitatur fides. Tum quia plerumq; essent falsa Dei testimonia. Nimirum cùm recipitur baptismus ab homine ficto.

 31. Sacra-

31. Sacramenta licèt sint signa per quæ fideles distinguuntur ab infidelibus: rursus etiam simbola Christianæ societatis: tamen non ad hoc sunt instituta. Tum quia ad iustificationem. Tum quia melius distinguuntur fideles ab infidelibus per confessionem fidei. Tum quia frustra Sacramenta dicerentur effluxisse de latere Christi dormientis: ad distinctionem enim sat fuisset simplex institutio.

32. Anabaptistę volunt quòd sint ad hoc instituta, vt sint allegoriæ admonentes nos bonorum operum. Sed hæc eodem iaculo confoditur quo & præcedens.

33. Zuinglius vult quòd Sacramenta sint initiationes & oppignorationes, quibus homines se obligant Christo & eius militiæ nomen dant. At licèt sit ex aliqua parte verum, non tamen ex omni parte: quia non ad altiorem fructum Sacramenta esse instituta dicit. Secundò. Quia Christus nihil in Sacramentis ageret, quod est contra illud Ioannis 1. Hic est qui baptizat. & Ephes: 5. Mundans eam, &c. Tertiò. Quia Zuinglius vult, vt homines priusquàm recipiant Sacramenta sint interius iustificati, quod est contra scripturas.

34. Caluinus sic diffinit Sacramentum: Est externum symbolum quo beneuolentiæ erga nos suę promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatē, & nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo quàm Angelis & apud homines testamur. In hac impia diffinitione Sacramenti tot falsa quot verba.

35. Primò dicit symbolum externum: sed falsum, cùm illud intelligat de signo non practico sed nudo.

36. Secundò dicit, beneuolentiæ erga nos suæ: per beneuolentiam intelligendo inprimis æternam prędestinationem. Sed falsum: nam Sacramenta sunt causa primæ iustificationis: & Deus sæpe sæpiùs testis esset falsitatis, dum per Sacramenta testaretur esse eum qui suscipit prædestinatum quem tamen condemnat.

37. Dicit tertiò, conscientiis nostris ad sustinendam fidei imbecillitatem. Hoc pugnat cum Baptismo paruulorum, nam in illorum conscientiis per Baptismum non sustentatur fides.

38. Dicit quartò, obsignat: sed id falsum prout dictum est contra Lutheranos & Zuinglium.

39. Sacramentum secundum Catholicos, est signum trium rerum, scilicet, passionis Christi, gratiæ & virtutum, & vitę æternæ.

40. Sacramentum eſt ſignum rememoratiuum, demonſtratiuum, & prognoſticum.

41. Sacramēta veteris legis potius erant prognoſtica futurorū quàm rememoratiua præteritorum, vt patet in Paſchali agno.

42. In Sacramentis oportet vti rebus diuina inſtitutione ordinatis.

43. Credibile eſt, Sacramenta veteris legis ex ſolis rebus conſtaſſe.

44. In Sacramentis omnibus nouæ legis omninò requiruntur res tanquam materia, verba verò tanquam forma.

45. Compoſitio rerum & verborum in Sacramentis conſtituit vnum ſignum: quod ſic eſt intelligendum; quòd ablutio, verbi gratia, quæ eſt indeterminata ad diuerſas ablutiones, per verba contrahitur ad ſignificandam ablutionem ſpiritualem: ita vt res ſint vnum ſignum partiale, verba verò aliud partiale, & ex illis confletur Sacramentum vt vnum totale.

46. Non eſt neceſſe in omni Sacramento, vt res non ſint verba, & verba non ſint res, ſed ſat eſt vt vnum fungatur vice rei, & alterum vice verbi.

47. Nicolai Papæ Canon ſufficiat, & Alexandri cap: Cum locum. Cùm aiunt ſolum conſenſum efficere Matrimonium, non ſic vt iacet intelligendum eſt: nam ipſe Alexander Papa Cap: licèt de ſponſa dicit Sacramentum requiri ſupra conſenſum mutuum, quod verbis exprimitur; ſed excludit vel conſenſum parentum, vel ſolennitatem, vel aliquid aliud accidentale.

48. Coniunctio rerum & verborum in Sacramentis eſt quodammodo ſimilis compoſitioni naturali, quodam modo artificiali.

49. In Sacramentis nouæ legis requiruntur determinata verba.

50. Formæ Sacramentorum in triplici ſunt ordine. Quædam à Chriſto dictæ & in Euangelio expreſſæ. Quædam ab Apoſtolis per traditiones habitæ. Quædam quę ſoli ſeruit Sacramento Matrimonij, vt ſit ſic determinata vt poſsit iure naturæ mutuum aſſenſum clarè ſignificare.

51. Verba non ſic debent eſſe determinata vt ſint apud omnes nationes eadem, ſed vt ſit idem eorū in omnibus nationibus ſenſus.

52. Verbum Baptizo in forma Sacramenti eiuſdem bene ab Eccleſia eſt retentū: quia ampliſsimā habet ſignificationem; ſignificat enim tingo, abluo, mergo, quibus modis fieri ſolet Baptiſmus.

53. Ille qui ex induſtria verba vellet corruptè proferre nō conficeret Sacramentū: quia non intēderet facere, id quod facit Eccleſia.

54. Qui verò ex balbutie vel lapſu linguæ id faceret; & corruptio ſit

tanta vt ſenſum tolleret, non conficeret.

55. Si Miniſter per diminutionem vel additionem ad formam Sacramenti, intenderet præter ordinem Eccleſiæ nouum ritum inducere, non conficit Sacramentum.

56. Si per mutationē non tollitur debitus ſenſus, valet Sacramentū.

57. Qui minutiora in forma prętermittit peccat, ſed valet Sacramētū.

58. Si aliquis adderet ad formam aliquid corruptiuum, ſenſus non conficit, vt dū Arriani baptizant In nomine Patris maioris, &c.

59. Idem putandum eſt de interpoſitione corruptiua ſenſus vel conſeruatiua eiuſdem.

60. Sacramenta ſunt neceſſaria ad humanam ſalutem.

61. Etſi gratia & paſsio Chriſti ſint cauſæ ſufficientes ſalutis noſtræ: nihilominus etiam Sacramenta ſunt perneceſſaria.

62. Homo in ſtatu innocentiæ indiguiſſet gratia diuina: Non tamen eam per Sacramenta quæſiuiſſet.

63. Non narura ſed eius ſtatus exigit Sacramenta.

64. Nec matrimonium primorum parentum fuit Sacramentum.

65. Nec aliqua ſacrificia in eodem ſtatu erant neceſſaria: quidquid dicat Alenſis cum Durando.

66. Fuiſſet nihilominus neceſſaria fides & proteſtatio eius per bona opera.

67. Sacramenta pro ſtatu illo integro, non erant congruentia in remedium peccati.

68. Nec propter diſtinctionem vnius religionis & cæteris ſectis, quæ ibi non fuiſſent.

69. Nec propter memoriam beneficiorum Dei.

70. Item non fuerunt neceſſaria ſacrificia propter gratiarū actionem: quia oblationes cedunt quædam in vſum Eccleſiæ, quædam in vſum miniſtrorum, quæ ibi non fuiſſent, propterea quod illis eſſent omnia communia.

71. Non deniq; propter aliquam animæ perfectionem.

72. Ante Chriſti aduentum poſt peccatum neceſſe fuit aliqua inſtitui Sacramenta.

73. Sacramenta antiqua dependebant à paſſione Chriſti, tanquam à cauſa finali.

74. Sub lege naturæ ante Abraham cui iniuncta eſt circumciſio, fuit diuinum præceptum in genere habendi aliquod Sacramentum proteſtatiuum ſupernaturalis fidei.

75. Nullum ante legem Moyſi fuit præceptum exterius de fide vel de Sacramentis, vel ſacrificiis, ſed ſolùm internum.

In lege

76. In lege naturæ non fuit determinatè præfixum per quæ Sacramenta Deus coleretur; sed vnicuiq; licebat vti oblationibus eiusmodi quas naturale vel supernaturale dictamē ordinabat.

77. Credibile est fuisse in illo statu aliquos viros spiritu prophetico pollentes, qui spiritu diuino quasi priuata lege ordinarent aliqua huiusmodi Sacramenta, & cæteros instruerent per modū paternæ admonitionis.

78. In omni Republica bene ordinata oblationes in particulari; vt decimæ, & primitiæ, fuerunt institutæ de iure naturæ & positiuo.

79. In noua lege post Christum fuerunt necessaria Sacramenta.

80. In cœlis nulla requiruntur Sacramenta.

81. Alia Sacramenta omnia necessaria fuerūt ante Christi aduentum, & alia post Christi aduentum.

82. Quòd Deus mutauerit Sacramēta non redundat in ipsius aliquam mutabilitatem; sed in humani generis status varietatem.

83. Nulla Sacramenta habent absolutam necessitatem, sed dependent ex arbitrio diuino.

84. Omnia Sacramenta sunt necessaria necessitate præcepti licèt non singulis.

85. Baptismus & Pœnitentia necessaria sunt posita institutione diuina necessitate medii simpliciter: Baptismus quidem omnibus, Pœnitentia iis qui post Baptismum lethaliter delinquunt.

86. Eucharistia, Confirmatio & Extrema vnctio necessaria sunt necessitate medii ad bene esse etiam supposita institutione Dei.

87. Ordo est necessarius non singulis sed Ecclesiæ in vniuersum necessitate medii simpliciter etiam supposita ordinatione Dei.

88. Matrimonium necessarium est ad bene esse non singulis hominibus sed Ecclesiæ Dei in vniuersum.

89. Solus Deus est causa principalis gratiæ.

90. Sacramenta sunt causæ instrumentales eiusdem gratiæ.

91. Falsa est opinio Scoti dicentis: Sacramēta licèt non sint secundùm rem causa gratiæ: tamen posse appellari causas instrumētales.

92. Secundùm Scotum, Sacramenta sunt causa gratiæ secundum dici non secundum esse: & sunt pura signa vel conditio sine qua non, quæ omnia sunt contra authoritates sanctorum Patrum.

93. Iuxta eiusdem subtilis Doctoris positionem non differunt Sacramenta nouæ legis ab antiquis.

94. Hodie minùs libera apparet hæc opinio: quoniam in Concilio Florentino ab Eugenio 3. datur differentia inter noua, & antiqua Sacramenta; quod illa tantùm significant, noua verò continent & conferunt gratiam.

95. Sacramenta sunt simul signa & causę & efficiunt id quod figurant.
96. Gratia Sacramentalis addit super gratiam virtutum & donorum.
97. Sacramenta ordinantur ad quosdam effectus speciales necessarios in vita Christiana.
98. Sicut dona & virtutes addunt super gratiam communiter dictam quandam perfectionem ordinatam ad actus potentiarum: ita gratia Sacramentalis addit super dona & virtutes quoddam diuinum auxilium ad consequendum finem. (causis.
99. Gratia continetur in Sacramentis bifariam, & vt in signis & vt in
100. Gratia non est in Sacramentis vt in vase prout vas significat locũ: secus si significet instrumentum, iuxta illud Ezech: 9. Vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua.
101. In Sacramentis debet esse virtus causatiua gratiæ.
102. Ista virtus est ibidem per modum transeuntis & non permanẽtis.
103. Sacramenta Ecclesiæ specialiter habẽt virtutẽ ex passione Christi.
104. Christus etiamsi per quemlibet actum nobis salutem & gratiam meruerit; nullum tamẽ præter passionẽ obtulit Patri tanquam plenarium meritum totalemq; satisfactionem.
105. Sacramẽta veteris legis non conferebant gratiã virtute propria.
106. Item non conferebant gratiam in eis habitam ex passione Christi, vel vt aiunt ex opere operato.
107. Circumcisio similiter, quidquid de ipsa dicant Alen: Scotus, Gabriel, S. Bonauentura.
108. Omnes fideles per aliqua sacramẽta aliquo insigniũtur charactere
109. Malè ait Scotus in 4. Sent. dist: 6. qui ostendit se habere tenuissimam fidem de charactere: dum contendit characterem neq; de sacris literis, nec de S Patribus colligi posse, nec probari ratione.
110. Character reperitur in scripturis sacris & in Patribus, & probatur rationibus optimis.
111. Character est spiritualis potestas respectu cultus diuini.
112. Character est potestas instrumentalis.
113. Character non est in prædicamento directè sed reductiuè.
114. Character nõ est ens rationis nec relatio, vt Durã: & Sco: voluerũt.
115. Character est qualitas absoluta videlicet potestas accipiendi vel dandi sacramenta.
116. Character habet tria officia, aptum facere ad cultum diuinum, configurare Christo, & distinguere fideles ab infidelibus.
117. Character est in potentia intellectiua animæ tanquã in subiecto.

118. Falsum

118. Falſum docet Durandus, characterem non eſſe in anima ſed in potentia executiua adminiſtrationis ſacramentorum.
119. Falſa eſt opinio Scoti dicentis eſſe characterem in voluntate.
120. Character ineſt animę indelebiliter remanẽs etiã in ipſis Apoſtatis.
121. Baptiſmus, Confirmatio & Ordo, tria hæc ſolùm ſacramenta inprimunt characterem.
122. Quidquid dicat Scotus: nec circumciſio, nec aliquod aliud antiquum ſacramentum imprimebat characterem.
123. Chriſtus nullum habuit characterem creatum.
124. Solus Deus eſt ſacramentorum inſtitutor.
125. Quæ in ſacramentis adhibentur per homines inſtituta, non ſunt de neceſſitate ſacramenti, ſed pertinent ad quandam ipſius ſolennitatem.
126. Non omnia quę ſunt de neceſſitate ſacramenti ſunt ſcripta in ſcripturis: Eccleſia tamen habet ea ex familiari Apoſtolorum traditione, iuxta illud 1. Cor: 11. Cætera cùm venero diſponam.
127. Apoſtoli & eorum ſucceſſores non poſſunt inſtituere alia ſacramenta præter ea quæ ſunt à Chriſto inſtituta.
128. Chriſtus in quantum homo fuit, habuit poteſtatem excellentiæ reſpectu ſacramentorum.
129. Poteſtas excellentiæ Chriſti in quatuor cõſiſtit. Primò, quia virtus paſſionis eius operatur in ſacramentis.
130. Secundò, quia in eius nomine conficiuntur ſacramenta. Tertiò, quia ad illũ ſpectabat inſtituere ſacramenta. Quartò, quia ille ſolus potuit conferre effectum ſacramentorũ ſine ſacramẽtis.
131. Chriſtus poteſtatẽ autoritatis nemini creaturę potuit cõmunicare.
132. Potuit tamen poteſtatem excellentiæ alicui puræ creaturæ communicare, dando illi omnes illas quatuor conditiones, ad poteſtatem excellentiæ pertinentes.
133. Chriſtus non propter inuidiam, aut malitiam aliquam, retinuit ſibi huiuſmodi poteſtatem; ſed propter noſtram vtilitatem.
134. Si poteſtatem excellentiæ communicaſſet Eccleſiæ, non propterea fuiſſet corpus monſtruoſum; ſed ipſe fuiſſet caput principale, alius verò caput ſecundarium.
135. Miniſtri Eccleſiæ poſſunt ſacramenta celebrare etiam ſi ſint mali.
136. Miniſtri mali ſunt inſtrumenta Chriſti, ſed ſeparata.
137. Bonitas in miniſtro eſt debita non neceſſitate ſacramenti, ſed neceſſitate decentiæ.
138. Mali adminiſtrantes ſacramenta peccant peccato ex ſuo genere mortali.

139. Etiam

139. Etiam Subdiaconi & Diaconi in peccato exercentes officia sua.
140. Probabile est quòd Prædicatores in peccato mortali prædicantes non peccent mortaliter.
141. Minister nequam si est ab Ecclesia tolleratus, ab eo licet vnicuiq; absque peccato sacramenta suscipere, siue in necessitate siue extra: dummodò sit paratus dare illa siue ex officio siue ex priuilegio.
142. Nemini licet ministrum non paratum & ab Ecclesia præcisum inducere ad ministrandum sibi sacramenta: nisi vel inducentem necessitas cogat vel ministrum officium obliget.
143. Licitum est eum qui non est præcisus, & quem scio indignè sacramentum administraturum inducere si sit meus prælatus.
144. Etiam licet ministrum malum inducere etiam si non sit prælatus nec paratus; dummodò ego sim in necessitate constitutus.
145. A quocunq; per simplicem excommunicationem præciso (modo non sit nominatim excommunicatus vel manifestus clericorum percussor) quando est paratus licet sacramentum suscipere tàm in necessitate quàm extra.
146. Ab excommunicatis nominatum siue manifestis percussoribus clericorum, siue sint prælati siue non, siue parati siue non, etiã necessitatem patienti non licet suscipere sacramentum, neq; illos ad ministrandum inducere.
147. Angeli non possunt sacramenta ministrare.
148. Si Angelus bonus administrasset sacramentum verum esset: secus de Diabolo.
149. Vnde execrabilis est doctrina Lutheri dicentis, Diabolum posse conficere sacramentum.
150. Etiam falsa & hæretica est doctrina eiusdem docentis, omnes homines vtriusque sexus esse sacerdotes nouæ legis.
151. Iniquè fœminis Lutherus concedit officium prædicandi & administrandi Cœnam Domini, & alia omnia sacramenta.
152. Intentio ministri requiritur ad conficienda sacramenta de necessitate essentiali sacramenti.
153. Ad perfectionem sacramenti non requiritur fides ministri.
154. Septem sunt sacramenta Ecclesiæ nouæ legis.
155. Præstantissimum inter ipsa est sacramentum Eucharistiæ.
156. Alia sacramenta inter se collata habent se sicut excedentia & excessa.

Ex Theo-

De Furto, Rapina, & Vſura.

1. Homo habet naturale dominium rerum ſolum quantùm ad vſum earũ ; non autem quantùm ad naturarum aliquam mutationem.

2. Furtum à Theologis ſic diffinitur. Eſt occulta acceptio rei alienæ. Quidam addunt. Inuito domino : ſed explicandi potiùs eſt, nõ neceſſitatis, particula.

3. Ex l. 1. ff. de furtis, & ex Iuſtiniano, diffinitio quę ſic ſe habet: Furtum eſt contrectatio fraudulenta, lucri faciendi gratia, rei alienæ, mobilis, corporalis, vel ipſius rei, vel poſſeſſoris eius, vel vſus illius, eſt potius quid nominis Iuriſtæ per furtum intelligunt, apud quos, nec acceptio iurium, nec rei immobilis furtum nominatur, ſecus apud Theologos.

4. Accipere occulte vxorem vel filiam alienam non eſt furtum : ſeruam vero, quam ſic poſſidemus ſicut agros, accipere occulte, furtum erit.

5. Accipere alienam vxorem vel filiam in ſeruam, non eſt furtum neque raptus, ſed reducitur ad peccatum captiuationis.

6. Per occultam alienæ rei detentionem incurritur furtum ſicut & per acceptionem.

7. Tenens rem alienam ſi ſimpliciter detinet, non peccat continuè nouo furti peccato.

8. Quod ſi detinens contrectat rem alienam propter illius meliorationem. V. G. dum leuat ex loco humido veſtem & ad ſolem exponit exſiccandam non peccat nouo peccato.

9. Si verò ſe veſtiat, ex poculis furtiuis bibat, clenodia portet, &c. interim cogitando & ſe delectando ſic indui furtiuis rebus, toties peccat mortaliter, quoties id facit.

10. Si verò idem faciat nil de hoc cogitando, peccat etiam mortaliter toties, quoties nouam iniuriam infert domino rei. Facit verò iniuriam nouam, dum ipſam reddit ſic deteriorem, vt non ſit à domino amplius repetenda, ſed eius pretium.

11. Res clam ſublatæ à fure, ſunt ipſius furis quantum ad cuſtodiam: ſicut & res raptæ ſunt raptoris quantum ad detentionem.

12. Homo qui occultè furatur res proprias detinenti cõmittit peccatum furti.

13. Secundum iura ciuilia dicens sibi ius merito debet priuari iure.

14. Quando aliquis furtiuè repetit res suas ab alio, peccat: non tamen tenetur propterea ad restitutionem.

15. Dum aliquis non potest seruato ordine iuris repetere res suas, non committit furtum si eas secretò accipiat ab iniquo possessore.

16. Furtum ob triplicem rationem dicitur esse peccatum. Tum quia est contra præceptum Dei, Exod: 20. Non furtum facies. Tum quia est actus contra iustitiam, quæ reddit vnicuiq; quod suum est. Tum ratione fraudis, dum dolose & fraudulenter & quasi ex insidiis rem alienam vsurpat.

17. Authoritate Dei vel iudicis occulte accipere rem alienam, non est furtum.

18. Secundum ius naturæ, margarethæ inuentæ in littore maris sunt ipsius inuenientis & occupantis. Hoc idem verum est per legem communem vt habetur in l. Item lapilli ff. de rerum diuisione: & est Arist: 1. Pol. & multorum aliorum.

19. Qui inuenit thesaurum impropriè dictum, tenetur restituere domino vel eius hæredibus. Dicitur verò thesaurus impropriè depositio pecuniæ, vel eius quod pecunia æstimatur, quam quisq; lucri gratia vel metus, vel custodiæ, vel ostentationis gratia in sepulchro vel in terra condidit. Iurisconf. in l. Nunquã SS. Thesaurus, & in l. Vnica C. de thesauris lib: 20.

20. Stando in solo iure naturæ, thesaurus propriè dictus, est ipsius inuentoris. Iste verò dicitur depositio pecuniẹ ab immemorabili tempore; ita vt dominum non habeat.

21. Secundum ius commune, thesaurus, arte magica inuentus totus adiudicatur fisco. Id patet ex l. Vnica C. de thesauris, & in l. Nemo C. de maleficis & Mathematicis: non tamen tenetur restituere ante condemnationem.

22. Eodem iure thesaurus inuentus in proprio fundo totus est inuentoris. Si verò inueniatur in alieno; tunc si ex proposito quærebatur, totus erit reddendus domino agri: si autem à casu fuerit repertus, diuidendus est æqualiter inter inuentorem & dominum agri. Hoc patet vbi supra.

23. Qui ex proposito inuenit in alieno agro thesaurum non debet ante sententiam iudicis reddere domino agri: qui verò à casu, tenetur statim diuidere.

24. Per eadem iura qui inuenit thesaurum in agro quem emit, siue sciens ibi latere thesaurum, siue nesciens, efficitur dominus ipsius thesauri:

thesauri: Tum quia nulla fit iniustitia vendenti; nō enim tenetur reuelare, id quod ex sua industria cognouit. Tum quia ager appreciatur propter fertilitatem, non propter thesaurum intus latentem. Tum quia venditor non fuit verus dominus: alioquin non esset thesaurus propriè dictus.

25. Rex siue princeps citra peccatum potest iustam legem condere, vt thesaurus propriè dictus inuentus à quopiam ad se pertineat. Id patet ex Palud: 4. Sent: Dist: 15. quæst: 3. Art: 5. qui dicit esse id communem vsum in toto orbe. Et D. Ant: 2. par: Tit: 3. SS. 5. cap: 1. debetur nihilominus quarta vel quinta pars inuentori.

26. Iure naturæ Mineralia auri vel argenti vel methalorum venæ sunt illorum quorum sunt loca vbi inueniuntur: secus secundum legem positiuam, vt patet in legibus quibus supra.

27. Res inuentæ quæ habent dominos ignotos potest inuētor sibi retinere, si dominū non inuenit; quem tenetur diligēter inquirere.

28. Consultius tamen est vt eas sibi non retineat; sed vel eroget in pauperes & pias causas, vel deponat apud iudicem, vel sequatur leges Prouinciæ in qua viuit, quid statuant circa huiusmodi res inuentas.

29. Bona quæ sunt superflua possidenti, & dominus non comparet, sunt Reipub: restituenda, vel pauperibus eroganda. Cap: Cùm tu, De vsuris. Et 14. Quæst: 5.

30. Furtum secundùm speciem suam, est peccatum mortale.

31. Fures occidere, durum quidem videtur: non tamen est peccatum quidquid dicant, Scotus, Syluester, Alensis. Et non satis bene Sotus inuectiuam facit lib: 5. de iustitia & iure in Baldum, quòd propter eius causam fures pro tertio furto suspendantur, vel pro vno ingenti: deberent tamen leuiùs castigari, per restitutionem videlicet, vel per labores corporales. Et hoc innuit S. Doctor 2. 2. Quæst: 66. Art: 6. ad 2. vbi docet fures propter circumstantias aggrauantes debere occidi: vt pro sacrilegio, & pro peculatu quod est furtum rei communis, & de plagio quod est furtum hominis, vt patet Exod: 21.

32. Si quis res minimas furtim accipiat, potest excusari à mortali.

33. Si quis res etiam minimas furando habet animum inferendi damnum proximo, committit peccatum mortale: sicut etiam cogitatione sola.

34. Etiamsi prima facie materia furti videatur grauis secundum se, tamen non erit peccatum mortale, si dominus, non censetur

esse inuitus: Vnde minus peccat filius furando prædiuiti patri centum florenos, quàm si seruus furaretur duos florenos.

35. Peccat mortaliter ille, qui à multis accipit occultè quinquaginta ducatos quamuis vnum quadrantem à singulis auferret. Hûc pertinet & iniustitia Cauponum, qui quadrantes vel solidos addunt supra propinatam ceruisiam.

36. Ille qui furatur rem leuem, puta ab artifice acum vel instrumentum, & scit illum de hoc esse valde contristandum non peccat peccato furti; sed mortaliter peccat contra beneficentiam & charitatem.

37. Pueri aulici qui deseruiunt mensis diuitum non peccant mortaliter peccato furti dum deuorant ea quæ de mensa tollunt: Vel si peccant, erit peccatum gulæ: secus est si sunt cibi integri & ordinati in mensam Architriclini vel alicuius officialis.

38. Iuxta statuta Concilij Tridentini Sess: 25. cap: 3. de Reformatione, non debet dari excommunicatio pro rebus sublatis aut deperditis, nisi pro re non vulgari; idque à solo Episcopo.

39. Si Episcopus concesserit suo Vicario facultatem excommunicãdi, factum quidem tenet, sed Episcopus peccat.

40. Bona quæ diuitibus superfluunt, iure naturæ debentur pauperum sustentationi.

41. Nemo citra vltimam necessitatem occulte vel manifeste potest res huiusmodi tollere à diuitibus.

42. In casu extremæ necessitatis potest quilibet palam, vel occultè accipere res alienas in sui sustentationem.

43. Quamuis proximo existenti in vltima necessitate non teneatur aliquis ex iustitia dare propria: tamen volentem accipere non debet prohibere; alioquin daretur iustum bellum ex vtraque parte sine ignorantia.

44. Dum aliquis est positus in extrema necessitate, timens periculum amittendi honores, occultè accipit res alienas, peccati nisi esset persona valde honorata cui mendicare esset valde inhonestum, licet casus iste sit rarissimus, potest siquidem apud principes seruiendi optimum locum habere.

45. Etiam in casu extremæ necessitatis non licet adulterari, vel homicidium facere propter subleuandam suam necessitatem: licet tamen furari; sed id non erit furtum nisi impropriè dictum.

46. Habenti superflua naturæ & personæ non est licitum accipere occultè illud ad subueniendum magnæ suæ necessitati.

Habens

47. Habens superfluum tenetur dare pauperi Eleęmosynam, sed non huic, sed cui sibi placuerit.
48. Rapina est peccatum specie distinctum à furto.
49. Diuersa ratio voluntarij facit distinctam speciem in solis peccatis contra iustitiam factis.
50. Finis raptus & furti est idē, verum est de fine remoto non proximo.
51. De Rapina non potest esse holocaustum domino acceptabile. Isa: 6.
52. Nemini licet rapere res alienas priuata potestate; quamuis liceat publica.
53. Ad vsuram tria requiruntur. Primò. Quòd in tali contractu sit mutuum. Secundò. Quòd interueniat intensio accipiendi lucrum ex mutuo. Tertiò. Pactum siue explicitum siue implicitum, ratione cuius mutuatarius sit obligatus ad soluendam vsuram.
54. Cùm aliquis vendit cariori pretio quàm præsenti iusto merces suas propter non numeratam sed expectatam pecuniam fœnerator est.
55. Si aliquis ratione mutui accipiat à mutuante id quod alias sibi debebat, non facit vsuram, sed redimere dicitur vexationem suam cùm aliter nequibat rem suam recuperare.
56. Vsura alia realis, alia mentalis est.
57. Vsura mentalis alia est ex parte mutuantis tantùm, alia ex parte mutuarij tantùm, alia ex vtraq; parte, nulla si ex neutra.
58. Falsa est opinio Græcorum asserentium vsuram esse licitam; sicut & Albanensium hæreticorum.
59. Secundum fidem Catholicam tenendum est vsuram non esse licitam. Et diffinitur id in Conc: Vien. sub Papa Clemente, & refertur in Clementina Vnica de Vsuris §. vltimo; quod idem diffinitum est in Nic: Concil: Can: 18.
60. Vsura est prohibita iure naturali: patet ex Arist: 1. Pol: cap: 6. Et 4. Ethic: cap: 1. Cicero verò lib: 2. de Finibus dicit. dum Catho interrogaretur quid sit vsura? respondit, Homicidium.
61. Certum est in lege antiqua Exod: 22. Deut: 28. Psal: 14. Fuisse vsuram prohibitam.
62. Similiter (licet non sic expresse) in lege Euangelica Lucæ 6. Mutuum date nihil inde sperantes.
63. Iure quoq; Canonico interdictæ sunt vsurę vt patet Dist: 14. Quæst: 3. & 4. 5. 6. 47. distin: & in Decretalibus, titulis de vsuris.
64. Iure ciuili communi prohibitæ sunt vsuræ vsurarum; vt patet ex l.

Placuit

Placuit ff. de vsuris, & ex l. Vt null. C. de vsuris : permissio tamen est vsurarum, vt patet in l. Placuit, dum modò non sit maior vsurarum portio quàm centesima pars mutuatæ, vt patet ex l. eos C. de vsuris.

65. Ista permissio non est illicita propter commoda multorum & euitanda minora mala ; sicut & prostibula.

66. Licet sint permissæ vsuræ, non tamen mutuatarius potest per iudicem cogi sub pœna excommunicationis ad soluendã vsuram.

67. Si soluit quispiam vsuram, non potest illi denegari forum ad repetandum eandem in iudicio. Ex Clementina vnica de vsuris.

68. Iudæis vsura neq; materialiter neq; formaliter sumpta fuit à Deo facta licita ab alienigenis.

69. Desiderare aliquid vltra sortem ex mutuo, est vsura : si verò speratur ex amicabili beneuolentia eius cui mutuatur, non erit vsura.

70. Licet sperare ex mutuo lucrum non primaria sed secundaria intentione : nam vsura non est bonum & sufficiens signum, quod aliâs non esset accommodaturus pecuniã nisi lucrum sperasset ; quando & Clerici non peccãt Simoniæ peccato dum vadunt in Chorum ad officiandum propter distributiones, aliâs non ituri.

71. Quando non est intentio mala ex vtraq; parte contractus mutui, id quod lucratum est vltra capitale, non obligatur restitutioni.

72. Quando verò vtriusq; est mens mala, ita vt mutuator omninò cogitet de receptione vltra sortem, & mutuatarius reddens, reddit vt vsuram, obligatur restitutioni, vt patet in cap : Consuluit.

73. Quando claudicat intentio ex parte accipientis, dum inuoluntariè supra capitale quod reddit, dat : mutuator verò bona fide propter suam innocentiam credit sibi dari, non tenetur ad restitutionem ; nisi si sibi postmodum constet de mala intentione mutuatarij, idque si ex acceptione est factus locupletior, secus si illam rem consumpserit.

74. Quando solius mutuantis est intentio peruersa peccat quidem, sed ad nihil tenetur restituendum, quando ille qui vt amicus dedit nihil minus quàm debebat habere habet.

75. Tenetur tamen restituere pauperibus & in causas pias : quia licet datio sit bona, sed quia acceptio peruersa & iniusta non est retinenda.

76. Mutuare alicui vt colat agrum meum iusto pretio est vsura.

77. Mutuare alicui vt vadat ad suum furnum, molendinum, scholam, officinam, etiam iusto pretio persoluto, est vsura.

78. Idem est dicendum de illo qui mutuat communitati vt sit immunis à collectis; sicut & mutuans principi vt det vel vendat sibi officium.

79. Non est vsurarius qui mutuat persecutori vt cesset à persecutione: quia tunc tantùm redimit suam vexationem.

80. Mutuans quingentos florenos in nummis, & quingentos in Iuribus vsurarius est: & duo mala in tali contractu fiunt. Primò, quòd mutuans cogitur emere iura. Secundò, quòd plerumque damnificatur.

81. Ratione damni emergentis ex mutuo licet aliquod interesse, expetere sine macula vsuræ: vt dum agrum vendit quis cum detrimento vt mutuet, vel qui mutuat sub vsura vt succurrat alienę necessitati, potest se in indemnem conseruare repetendo & in pactum deducendo.

82. Ratione lucri cessantis non licet aliquid in pactum deducere: quia non licet vendere id quod non habet, & quod multipliciter est impedibile.

83. Ista nihilominus est sic moderanda persequentes. Quando potentia est remota & naturalis pecuniæ ad lucrifaciendum, siue tale lucrum cesset contra voluntatem siue ex voluntate domini, non licet petere quidpiam vltra sortem.

84. Si aliquis sua sponte transferat pecuniam à negotiatione ad mutuum, non debet pacisci de lucro cessante.

85. Quando pecunia est in potentia proxima ad lucrandum, V.G. dum est negotiationi exposita, vel iam iam exponenda, & per meum mutuum impeditur lucrum contra voluntatem domini, potest petere lucrum cessans: imò qui impedit, tenetur in conscientia antequam petatur reddere illud.

86. Si impeditur lucrum pecuniæ negotiationi aut emptioni agri expositæ per moram solutionis, licet petere lucrum cessans: vt habetur in l. Sociū ff. pro socio, & in l. Cùm quidā ff. de vsuris.

87. Negotiator habens pecuniam negotiationi expositam communiter futuram cum lucro centum; dato quod à Ioanne mutuatario possit expetere lucrum, non tamen centum. Tum quia si sic expositam &c. fur subtraheret non deberet restituere totum lucrum speratum, sed ad arbitrium bonorum virorum. Tum quia ille qui restituit sparsa semina non tenetur ad totum lucrum speratæ messis, &c.

88. Negotiator qui affectu minoris lucri securi tamen (quia vt communiter

muniter dicitur: melius est hodie ouum quàm cras gallina) pecuniam suam negotiatoriam transfert ad mutuum volens in pactum deducere tantum sibi vltra sortem dari, quantum redderet fur qui eandem pecuniam sic expositaã &c. subtraxisset: vsurarius est.

89. Vsuram committit qui mutuat tali pacto vt remutuet sibi in posterum, vel intercedat pro se apud Regem siquidem mutuatarius tenetur. ad id iure naturali ex amicitia facere: repugnat autem tali amicitiæ debitæ obligatio ciuilis.

90. Talis obligatio ad remutuandum vel intercedendum apud regem est vendibilis.

91. Licet appareat species vsuræ dum aliquid mutuat Petrus obligando vt statim sibi remutuet. V.G. Do tibi mutuo frumentum vt illico mihi remutues vinum: non tamen est vsura. Tum quia ex vtraque parte est obligatio. Tum quia si esset ex vna parte, quemadmodum licet mihi pacisci cum sacerdote, si vis vt te audiam confessionem, statim me debes audire meam, citra peccatum Simoniæ: ita & hîc.

92. Fructus pignoris pro mutuo traditi sunt computandi in sortem, alioquin esset grauissima vsura, patet in cap: Conquestus, de vsuris. Et cap: 1. de Feudis. Et in lege Ciuili, l. 1. & 2. C. de pignoraticia actione.

93. Principes qui vilas, castra, & vrbes dant in pignus, debent computare in sortem, vel potius debent vendere illam creditori cum pacto retro vendendi.

94. Decretum est Innocentij, cap: Salubriter vt fructus rei impignoratæ genero pro dote vxoris possint percipi à genero non computando in sortem.

95. Hæc est natura contractus dotalis, vt qui dotem promittit, promittat etiam fructus pignoris obligati pro dote quamdiu dotem non soluit, siue fructus excedant omnia onera Matrimonij siue non excedant.

96. Etiamsi maritus habeat vnde onera Matrimonij ferat, iuste potest recipere fructus pignoris, dum sibi dos non restituitur.

97. Iuste potest gener pacisci cum socero de certa pensione persoluenda dum dotem non tradit.

98. Vidua potest recipere pignoris fructus à patre vel hæredibus, vel certam pensionem etiamsi sit vidua diues.

99. Vendere pluris ratione futuræ expectatæ solutionis est vsura.

Vendere

100. Vendere minoris, ratione anticipatę solutionis similiter est vsura.

101. In Cap: In ciuitate, & Cap: Nauiganti, determinãtur casus liciti, vt si quis quando piper valet quinque libras & vendit sex ratione expectatæ solutionis: & seruaturus granum potest pluris vendere ad tempus quàm modo valeat: sed ista Capitula non sunt interpr æ tanda quod id liceat ratione expectatæ solutionis, sed quia in tali emptione & venditione partes integrales non sunt simul tempore: vbi valor rei quia pendet ex futuro, sic putandus est, ac si venditio fieret tempore illo quo merces est persoluenda.

102. Seruaturus merces non potest vendere eo pretio quod sperat se illo tempore accepturum: nam lucrum in spe, non est tantum quantum est in actu, sed potius tantum poterit accipere ad quod teneretur restituendum fur si rem seruaturam esset suffuratus.

103. Isti duo casus licet non extorti sint, tamen sunt tracti, quantum trahi poterant; & potius sunt habendi pro tollerabilibus quàm pro regularibus.

104. Bona per vsuram extorta sunt obligata eis, à quibus sunt extorta obligatione reali.

105. Bona cætera siue empta pro pecunia vsuraria, siue non, sunt obligata restitutioni, obligatione personali.

106. Res quæ non habent vsum fructum, secundum iura: videlicet denarij, Vinum, Oleum, Triticum, habita & nacta per vsuram, non sunt obligata restitutioni post solutionem eius quod fuit vsurariè extortum.

107. Res verò quæ habent vsum fructum, sunt restitutioni obnoxiæ: vnde qui domum alterius vel agrum per vsuram extorsisset, debet restituere non solùm domum sed etiam fructus exinde perceptos.

108. Canonistæ falsò credunt vno hærede facto impotente alterum hæredem teneri vsuras soluere in solidum.

109. Secundùm portiones hæreditatis quilibet hæredum sic obligatur ad restitutionem; vt secundùm portionẽ hæreditatis, sit etiam portio vsurarum, vt si quis duas partes est sortitus pro duabus portionibus soluat.

110. Non licet inducere cuipiam hominem alias non paratum ad mutuandum sub vsura.

11. Licet à parato vſurario accipere mutuum ſub vſura propter ſubuentionem neceſsitatis ſuæ ſeu alterius: ſicut licet illi qui incidit in latrones manifeſtare bona quæ habet; quæ latrones diripiendo peccant: exemplo decem virorum qui dixerunt Iſmaeli: Noli occidere nos, quia theſauros habemus in agro. Hier: 41.

Ex Phyſico auditu.

1. Tria ſunt principia rerum naturalium.
2. Materia eſt cognoſcibilis ſecundùm analogiam ad formam.
3. Materia eſt appetitiua formæ.
4. Materia non eſt vna corporum corruptibilium & incorruptibilium.
5. Forma eſt quæ dat eſſe rei.
6. Priuatio eſt negatio formæ in ſubiecto apto nato.
7. Natura eſt principium motus in eo in quo eſt primum per ſe & non per accidens.
8. Forma magis eſt natura quàm materia.
9. Duplex eſt cauſa per ſe & per accidens.
10. Cauſæ per ſe ſunt quatuor.

Ad obiecta reſpondebit præfatus P. F. Ignatius Kownacki, S. T. Baccalaureus. Anno Menſe die quo ſupra.